

**VARIARUM LECTIONUM LIBELLUS, QUO ALI-  
QUOT LOCI EMENDANTUR E CICERONIS  
LIBRIS, PRAETEREA UNUS E SALLUSTII  
CATILINA.**

**F. V. GRASER S. D. V. RICHTERO PROF. REG.**

Indicavi Tibi nuper, quo e carmine essent versus illi Tibulli, quos quum ex me requireres, denuo intellexi, quantum Tibi etiam omnes res meae, quamvis domi plerumque delitescerent, curae essent. Itaque quum muneris causa, quod ante hos XIII annos Te rectore in hoc gymnasio suscepi, rursus mihi aliquid esset scribendum, quo programmati propediem edendo aliquid, quod ad bonas literas pertineret, vel oneris vel ponderis adjiceretur: nescio quomodo dulciorem eam mihi fecit opellam, quum ad Te scribere, Richtere, animum induxissem, quem idem vellem de meae in Te voluntatis constantia sentire, quod ipse mihi de Tua, qua in me esse pergeres, benevolentia persuasisses. Ergo explicanda putavi, quae Tibi haud ingrata fore viderentur, ad eosque animum Tuum libros revocavi, in quibus eleganter interpretandis magnam partem aetatis consumpsisti. Nec vero ut olim joculari ausi sumus: non eadem est aetas, non mens. Seria vel maxime egimus, quamquam nonnunquam ridere concessum putavimus. Obversabaris autem ipse, Richtere, qui quidem in hortulis Tuis non solum illum, qui ipsa natura volente non semper idem floribus est honos, gestiente animo admirari soleres, sed idem, par in utroque juveni, purgandi laborem agri strenue sustineres, si non pestifera, quae neglectis urenda filix innascitur agris, at aliis nocentibus herbis, quo bene esset

suavissimis alumnis. Similiter igitur nos in optimis libris iis, quorum plerumque elegantiam et utilitatem discipulis nostris commendamus, nunc runcare spinas instituimus; quibus quidem etiam post doctissimorum virorum curas passim ita illos impeditos deprehendimus, ut, qui haerentem lectorem expediret, operae pretium facturus videretur. Sumus autem in talibus potissimum locis versati, quorum et turpiora essent vitia et ita inveterata, ut etiam in libris manu scriptis aut nihil aut parum esset opis ad emendandum: ex quo genere haud pauca quae conjectaveramus cum ab aliis nuper tum a Madvigio, primario viro, occupata vidimus. In his autem, quae nunc ad Te misimus, vehementer gaudebimus, Richtere, si, ubicumque aegris partibus medicina esset adhibenda, studiose operam nos dedisse iudicaveris, ut medicorum illorum, quorum superiore anno curam eodem ambo tempore experti sumus, artem imitaremur: quorum alterius, qui manu curabat, semper lenitate, alterius, qui ingenii arte, *Berkuni*, viri utriusque nostrum amicissimi, non majore sagacitate et prudentia quam doctrina et peritia tum, quum vehementer sanguis turbabat, vel maxime contigit, Tu ut doloris tormenta, ego ut Libitinam vitarem. Jam vero nolebam Te amplius morari. Lege ipsum libellum: de quo quum mihi propediem, quid de singulis locis Tibi visum sit, coram docte, ut soles, et facete expones, habebit ista senilis disputatio potius Tua quam declamatio, qualis Ciceronis illa fuit in Tusculano, auditorem meliora doceri cupidissimum. Vale.\*)

Tusc.  
Disp.  
II. 2. Pulcherrimum est praemium, quo M. Tullius Cicero Bruto suo tertium commendavit librum disputationum, quas ad illum misit, Tusculanarum. Philosophia quum medicina sit animi, postquam primum quaesivit, quam ob causam illa ita neglecta esse videatur, deinde docet, qua re fiat, ut ea opus homini sit medicina. Etenim quid velit natura, inde ab ipso ortu obscurari, infinitamque esse multitudinem rerum, quibus per omnem vitam integritas illa animi, qualem principio sive natura sive, ut nos sentimus, deus finxerit insitis virtutum seminibus, perpetuo corrumpatur errorum vi et vitiorum. In eo igitur genere deinceps ponit poetarum lectionem, postea merito populi, multorum

\*) Senilem declamationem de philosophia disputationem illam suam Cicero dixit Tuscul. Disput. I, 4., iterum II, 11. — Praeterea placuit hoc loco discipulis in Horatio nondum versatis hos versus indicare, quibus supra usi sumus: Epist. I, 1, 4. Sat. I, 3, 37. Carm. II, 11, 9. III, 30, 7. Heri semper lenitas est in P. Terentii Andria I, 2, 4.

illius caput beluae,\*) quasi magisterium quoddam vel maxime pestiferum. De hoc autem optima auctoritate nunc ita loquentem habemus:

„Quum verò accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate a naturaque desciscimus, ut nobis optime naturae vim vidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria judicaverunt.“

In his quod turpissimum erat vitium *ut nobis optime naturam invidisse videantur* eo ipso, quo nos volueramus, modo correctum est a Madvigio, qui sustulit portentosam *invidiam*, qua invideretur natura: quod etiamsi intelligi aliquo modo posset, tamen ab hoc loco alienissimum foret, si quidem invidia tribueretur rei optimae iis, qui in eadem hac oratione eam ipsam rem optimam contemnere dicuntur; contemptor enim populus inducitur naturae, quam hominum animis omnis virtutis semina insevisse paullo ante explicatum est. Sed nihil attinet errorem, qui omnes fefellerat, pluribus arguere. Quod minus inutile videtur, sequamur, ut sententiae hujus partes obscuriores illustremus hoc modo. Quum populi, ait auctor, quasi disciplina uti coepimus, tum plane inficimur opinionum pravitate ab eoque quod secundum naturam est, hoc est quod verum et honestum est, ita desciscimus, ut adeo non dabitemus quod contra naturam, quod falsum et turpe est, vehementer probare, omninoque veritatem atque honestatem cum errore et turpitudine confundamus: *qui quidem, quid velit natura, eos optime perspexisse nobis persuadeamus, qui doctrinam falsissimam et maxime pestiferam pro verissima et utilissima vendunt, summum bonum et maxime expetendum non esse in virtute et honestate positum, sed in honoribus, imperiis, populari gloria.* — Praeterea quod R. Klotzius Keilii conjecturam praefendam duxit, qui scribi voluit *ut nobis optime naturam ii vidisse videantur*, nollem id factum. Nam frustra quaesieris quod simpliciter positum sit *naturam videre*, quodque supra cap. 2. scriptum est *Quodsi tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere possemus*, id ita positum est, ut tantillum absit ab ipso illo *naturae vim videre*, quum sit *ipsa natura* quod ejus proprium sit. Quod contra *naturae vim videre, perspicere, cernere* usitatum nostro est in hoc disputationis genere, ut sentiatur, intelligere, quid velit aut postulet natura, quid consentaneum sit naturae, ad quid generati simus natura, quaeque alia idem usurpat similia. Ita est de fin. bon. et mal. lib. V. cap. 15. § 43. „In infirma aetate imbecillaque

\*) Horat. Epist. I, 1, 76.

mente *vis naturae* quasi per caliginem *cernitur*: quum autem progrediens confirmatur animus, agnoscit ille quidem *naturae vim*, sed ita ut progredi possit longius cet.“ Et ibidem deinceps cap. 16. „Intrandum est igitur in rerum naturam et penitus, *quid ea postulet, pervidendum*.“ In his Tuscul. disput. lib. I. cap. 15. „Quorum aut ingenio aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sint, *cernere naturae vim* maxime.“

Tusc. Sed certe non omnia, quae in toto hoc loco dubitationem movent, con-  
 Disp. fecta sunt. Et primum quidem de verbis *Quum vero accedit eodem* non satis  
 Ill. 2. acute disputatum videtur: in quibus nec eorum ratio probari potest, qui *accedit* verbum tuiti sunt, ut Møserus fecit et, qui *accessit* praetulit, Tregderus, nec qui, ut Orellius et Klotzcius, id verbum omiserunt omissoque nihil desiderari existimaverunt. Tenendum autem maxime est, admodum levem ac paene nullam ejus vocabuli fidem esse a codicibus: nam cum plerisque optimi omittunt; qui autem habent, ita variant, ut justam suspicionem non minuunt, sed augeant, — *accedit, accidit, accesserit, accessit* —, et in cod. Vat. etiam alio loco positum accipimus post *populus*. Quodsi praeterea reputas, parum eleganter post illud *Accedunt etiam poetae* idem verbum repetitum videri, ubi variare et facillimum erat et consuetudini hujus scriptoris conveniens, nihil fere superest, quo, qui recto judicio utatur, alienam *accedit* verbi accessionem defendere audeat. Verum non magis dubium est, de quo Orellio et Klotzio secus visum est, verbo hanc orationem carere nullo pacto posse: nam ut ad verba *Quum vero eodem* de superiore *Accedunt* mente repetatur *accedit*, lingua non patitur. Quid igitur? num tamen, qui mutilatam orationem apposito *accedit* interpolavit, suo judicio idem ipsum, quod auctor posuerat, restituisse videtur? Id certe parum probabile est propter eam quam notavimus inelegantiam. Ergo aliud verbum positum fuerit ab auctore: quod jam quaeritur excidissene videatur, an in ipsis, quae servata sunt, verbis superesse corruptela obscuratum. Consentaneum est hanc alteram persequi suspicionem, si quid forte sit in verbis, quod eam confirmet vestigiaque monstret corruptionis. Sed quid opus est quaerere? Nam *Quum vero* verba quum omni suspitione sint libera, unum superest, quod videas ne quid detrimenti et ceperit et attulerit, *eodem*. Fac igitur scriptum fuisse, quod non fuisse scriptum optimorum testium auctoritati credendum est, sed fac fuisse *Quum vero accedit eodem-populus*: nonne vel sic fuerit, quod merito displiceat in *eodem* vocabulo? Nobis quidem in hoc oratione ineptum fore videtur. Quippe illud *accedit eodem populus* nec esse potest *in eundem locum venit*, nec, ut plerumque ponitur, *accedit ad eandem rem demonstrandam, confirmandam, testandam*: sed intelligendi sunt, ad quos accedat *populus, homines*, de quibus num summus elegantiae magister scripturus fuisse videtur *eodem*? An potuisse videtur idem paullo ante pro *Accedunt*

*etiam poetae scribere Accedunt eodem poetae?* Quodsi amplius quaerimus, qui sint homines, ad quos eodum populus accedere dicatur, novis impedimur tricis. Etenim in priore illo *Accedunt etiam poetae* apparet intelligi: *ad hos, quos modo dictum est variis nos erroribus imbuere*, post nutrices et parentes ad magistros, accedunt etiam poetae, qui augeant multitudinem corruptorum. Deinde vero in his *Quum vero accedit eodem populus* ad quos tandem recte retuleris *eodem?* Aptum erat *ad hos* aut *ad hos omnes*, ut aut poetae aut cum poetis ceteri, qui ante appellati sunt, intelligerentur. *Eodem* autem aut *ad eosdem* aliter accipi non posset, nisi ut esset: „Accedunt ad eosdem, ad quos poetae accedunt:“ quae inutilis esset et putida distinctio. An placet *eodem* referre ad *nos*, hoc est ad eos quorum corrumpantur animi, ut *eosdem nos* non ab uno genere hominum, sed quum a multis, tum etiam a populo corrupti intelligatur? At ita, quod ferri non potest, ut ad alios poetae, ad alios populus accedere videatur effeceris: nam illud *Accedunt etiam poetae* erat Accedunt ad hos, a quibus nos corrumpi a teneris unguiculis modo dictum est, ad nutrices, parentes, magistros. — Satis his demonstratum videtur, abunde esse, quod de *eodem* vocis fide dubitetur, quae ne ita quidem suspicione careat, si recte scribi sumatur *Quum vero accedit eodem-populus*. Nunc vero quum hoc ipsum *accedit*, quocum *eodem* illud leniter judicantibus optime convenire videatur, interpolatori deberi constet, quum optimi libri languida illa et putida vitii medela ommissa continuo scriptum habeant *Quum vero eodem quasi maximus quidam magister populus*: quid dubitamus, quin *eodem* corruptum sit? — Ita nos ratiocinati quum circumspiceremus, quid huic loco aptum esset, primum non temere intelligere visi sumus, auctorem, quoniam populum graviter et ornate *quasi maximum quendam magistrum* dicere placuisset, haud dubie etiam verbo esse usum apte delecto a *magisterio*que illo non alieno: tum vero nescio quo modo occurrebant versus illi Horatiani, qui in re simili haud dissimilem habent sententiam, sed ut pro honoribus, imperiis, gloria, quae hoc loco maxime admirantem videmus populum, ibi pecunia ut summum bonum commendetur ab hominibus maxime argentariis.\*)

O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,

Virtus post nummos. Haec Janus summus ab imo

Prodocet, haec recinunt juvenes dictata senesque cet.

Quid quaeris? inventum jam erat:

„Quum vero *prodocet* quasi maximus quidam magister populus cet.“

Jam quid non concinit? Quod aptius poterat ab auctore verbum reperiri,

\*) Horat. Epist. I, 1, 53.

quodque magis deceret *populum palam ubiuis suae praecepta sapientiae jactantem*, inanem esse virtutem, solos beatos, qui honoribus, imperiis, gloria pollerent? Quantumque jam nitoris additum vel potius redditum dicamus splendidis illis verbis *quasi maximus quidam magister?* quin ad hanc magistri appellationem eo ipso demum adductus esse videtur auctor, quod *prodocendi* verbum ante in mentem venisset. Sed etiam superiora ubi comparas, accedit commendatio. Omnes enim, quos antea recensuit, quasi doctores quidam erant errorum, imprimis poetae, *qui*, ut ait, *quum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur*: sed nemo omnium palam magis aut altiore voce aut in omnes ita partes *prodocet*, ut maximus magister populus. Denique sive rem, sive verba spectas, vix dubitari posse videtur, quin illo modo restitutum habeamus quod ab auctore erat positum. Nam illud quidem nemo doctus objecerit, desiderari id quod prodoceatur, vel Objectum. Nam ut simplex verbum docendi, ubi hoc solum dicendum est, munere docendi aliquem fungi aut versari in docendo, sine Objecto ponitur, ita prodocendi verbum: atque hoc loco id ipsum atque solum dicendum erat *Quum populus nobis praecepta sua explicat*; quae qualia sint praecepta, quum ex superioribus intelligitur, — puta maximorum errorum plenissima, qualia a poetis, a magistris, a ceteris discantur —, tum deinceps aperitur, „nihil melius homini esse honoribus, imperiis, populari gloria,“ quibus infra divitiae et voluptates adjiciuntur. Librariorum autem error unde natus videatur, haud difficile est intellectu. Videtur enim post *ve-ro* particula *pro* pro *διπρογοφία* habita esse, tum *docet* verbi literae consonantes ita obscuratae esse, ut, quum plane agnoscere non possent, effingeretur *eodem*, ut nonnunquam stupor librariorum quae multo magis mireris fingere potuit.

Tusc. Deinde vitium tantum non manifestum habent quae proxime hunc lo-  
 Disp. cum sequuntur verba *Ad quam fertur optimus quisque*, in quibus miror nemi-  
 III. 2. nem haesisse. Antecedunt *honores, imperia, popularis gloria*, quas partes esse apparet unius generis uno ordine continuo compositas ut alias, velut de Officiis lib. I, cap. 8. „*Maxime autem adducuntur plerique, ut eos justitiae capiat oblivio, quum in imperiorum, honorum, gloriae cupiditatem inciderunt.*“ Quo modo igitur credibile est aut tolerabile deinde ita pergi *Ad quam fertur optimus quisque*, ut hoc *quam* referatur ad unam earum partium, ad gloriam? Quodsi potuisset auctor hoc ipsum intelligi velle, „ad unam gloriam, non item ad honores et imperia, optimum quemque ferri,“ certe orationem aliter conformatam oportebat, ut popularis gloria ab iis, quibuscum nunc conjuncta est, rebus aliquo modo distingueretur: id quod dupliciter poterat effici, si scribebatur aut „*honoribus atque imperiis, tum maxime populari gloria jud. Ad quam*, vel potius *Et ad hanc quidem cet.*“ aut „*— honoribus, imperiis, pa-*

7  
*populari gloria judicaverunt. Et ad gloriam quidem fertur optimus quisque.*<sup>22</sup>  
Nunc vero res ipsa docet, hoc auctorem nec voluisse nec potuisse velle. Cohaerent enim et confusa sunt cum populari gloria, quae ipse cum ea conjunxit, honores et imperia, quibus gerendis illa vel maxime et comparatur et continetur atque augetur: et plane absurde diceretur, optimum quemque ad gloriam quidem ferri, nec vero ad honores et imperia, sed haec spernere, illam quaerere. His certissime argui putamus, scriptum ab auctore fuisse: „Ad quae fertur optimus quisque.“

Quod libri mss. omnes habent *quam* potest principio error peperisse: sed nescio an correctori debeatur idem sentienti; quod interpretes fefellisse videtur. Etenim quum proxime sequatur *veramque illam honestatem expetens*, quae *vera honestas* ipsi *populari gloriae* opponi videtur, quumque omnia haec, quae deinceps pluribus explicantur, maxime in gloria versentur falsa a vera discernenda: consentaneum esse dixeris, in principio hujus orationis ipsam gloriam popularem positam esse, de qua omnis deinceps sit disputatio. At haec ratio quamvis speciosa vide ne pessime decipiat. Nam quod primum objicis illud *veramque illam honestatem expetens*, in eo primum intelligitur *honestatem* referri ad eam quae postea sequitur *adumbratam imaginem gloriae*; siquidem ita procedit oratio „quumque veram illam honestatem expetant, — consecantur adumbratam imaginem gloriae“: deinde vero, quum sane in his quodam modo etiam ad superiora respiciatur, nihilne sentis, quod vel aures docent, hanc *honestatem* aptissime ad *honorum* illorum, qui antea cum imperiis et populari gloria compositi sunt, vanitatem animum revocare, quoniam honestas mutata sane vi vocabuli ab honore appellata est? Tum vero vel maxime intelligendum est, quum deinceps omnis disputatio sit de populari gloria, hanc non sejunctam et diversam intelligi ab *honoribus* et *imperis*, sed quae causas et praesidia illa sua simul complectatur, ut *adumbratam imaginem gloriae* eos ipsos consecari existimandum sit, qui nihil magis expetant quam honores atque imperia: nam apparet, auctorem dupliciter hoc loco *gloriae* nomine usum esse, primum ita, ut eam tamquam partem generis sui cum aliis ejusdem generis partibus composuerit, deinde ut ipsam tamquam genus posuerit, cui honores et imperia tamquam partes ~~aut~~ causae subjectae essent; idemque licet nobis facere interpretantibus *Würden, Aemter, Ehre vor der Welt*,<sup>23</sup>) ut deinde nomine *Ehre* priora illa hujus tamquam subsidia et praesidia contineri intelligeretur. Quae quum ita sint, restituto *Ad quae fertur optimus quisque* tantum abesse patet ut in sententiae ratione quidquam turbetur, ut omnia optime

<sup>23</sup>) Non ignoramus, quid haec differant a Latinis, sed substituiimus ut similia hujus disputationis causa.

conveniant ab omnique parte correctio illa munita esse videatur. Nisi forte quidam objecerint, mirum quantum nos errasse male verba pronuntiando: scilicet in verbis *honoribus, imperiis, populari gloria* postremum hoc *populari gloria* elata voce pronuntiandum esse, ut valde emineat: quo facto quum obscuratis verbis *honoribus, imperiis* postremo potissimum et fere solum audiri videatur *popularis gloria*, facillime fieri, ut deinde ad hanc unam referatur quae sequitur oratio *Ad quam fertur optimus quisque*. Nobis vero vincere videtur ratio grammatica et dialectica, quam supra exposuimus, frustra que arbitramur quosdam istiusmodi pronuntiandi artificii iusana sanare sibi videri: quippe non est honi scriptoris, quae ipse male scribendo peccaverit, corrigenda lectori permittere torquendae praeter naturam vocis artificii, sed ita scribere, ut lectores non imperiti verba non possint non recte pronuntiare.

Jam mitteremus tandem hunc locum, nisi una superesset dubitatio de verbo *virtutis* in his:

Tusc.  
Disp.  
III, 2.

„Ad quae fertur optimus quisque, veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime anquirit, in summa inanitate versatur, consecaturque nullam eminentem effigiem *virtutis*, sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata: ea est consentiens laus honorum, incorrupta vox bene judicantium de eccellente virtute: ea virtuti resonat tamquam imago.“

Nomen *virtutis*, quod post Bentlejum fere omnes expulerant, primus restituit Klotzius: sed is quum rationem ejus verbi recte intellexisset, certe non ita explicuit, ut omnis dubitatio sublata videretur; quo factum est, ut Tregderus, vir a levitate et temeritate alienissimus, deuo omiserit. Itaque operae pretium videtur plenius et accuratius rem exponere. Merito illud verbum condemnatum dicas propterea, quod quum sibi opponantur *eminens effigies et adumbrata imago*, consentaneum esse videatur utramque ad rem unam eandemque referri, ad *gloriam*, ejus ut vera vis a vana specie discernatur. Praeterea dixeris, *virtutem*, cujus hic nullus sit locus, modo ante suo loco *honestatis* nomine esse positam, ut omisso demum inepto illo vocabulo recte omnia convenient in hunc modum: „quum veram honestatem atque virtutem expetant, in summa inanitate versantes gloriam illi eamque non veram et solidam, sed falsam atque inanem consecantur.“ Succurrit etiam Orellius admonens: „non sufficiat *effigies virtutis* sapienti, virtutem ipsam expetenti.“ — Nos primum quaerimus, qua tandem ratione *virtutis* nomen credibile sit huc illatum esse. Corruptelae nullum plane vestigium est. Sed non magis de interpolatione licet cogitare: immo nisi principio ab auctore positum fuisset, ultro adscribere nec docto nec indocto librario aut interpreti cuiquam in mentem venire potuisse



credibile est, sed omnes verba ita accepissent, ut nunc volunt qui vi expulerunt interpretes. Deinde quod ab Orellio objectum est, quum plurimum valere videatur, nihil valet: latuit enim virum praestantissimum, quam vim haberet *effigies* nomen. De qua re satis erit contulisse aurea illa verba, quae sunt de Off. lib. III. cap. 17. „Nos veri juris germanaeque justitiae *solidam et expressam effigiem* nullam tenemus: umbra et *imaginibus* utimur. Eas ipsas utinam sequeremur! feruntur enim ex optimis naturae et veritatis exemplis.“ Vides *effigiem*, quippe rem solidam et expressam et eminentem, referri ad *veram vim* rei, *imaginem adumbratam* ad *inanem speciem*: qui usus ductus haud dubie inde est, quod quae sculptoria arte fingitur effigies solida et eminens veram cujusque corporis figuram repraesentare, imago picta tantum quasi umbram quandam corporis, coloribus figuram ipsam quasi mentientibus distinctam,\*) referre videtur. Ergo ut illo loco queritur auctor, nos *germanae justitiae solidam et expressam effigiem nullam tenere*, hoc est ipsius, quae divinitus constituta est, justitiae veram vim in hominibus nusquam apparere: ita idem hoc loco recte dixit, homines vanos *nullam eminentem effigiem virtutis*, hoc est non ipsam veram et divinam vim virtutis, *consectari*. Simul hic, quem comparavimus, locus ad tuendum *nullam* vocabulum idoneus est, cui fuerant qui *non ullam* substitui vellent. — At enim quo modo conveniet cum *virtutis* hac, quam nullam consecentur, *eminente effigie* quae continuo opponitur *adumbrata imago*, non ejusdem virtutis, sed *gloriae*? Optime, ut equidem puto, et ut non tantum horum ipsorum ratio constet, sed etiam quae deinceps sequuntur cum his omnino concinant. Id facillime apparebit, si primum detractis ornamentis ea quae rem continent simpliciter comparaveris hoc modo: „sectantur non virtutem, sed popularem gloriam.“ Quid in hoc non recte, quid non vere dictum? Sed amplificavit auctor apposito, quo altera ab altera differret: „sectantur non virtutem, cujus expressa et eminens est effigies, cujus veram vim esse sentimus ac divinam; sed popularem gloriam, cujus nulla est eminens effigies, sed adumbrata imago, cujus non vera ulla vis est, sed inanis species, quippe quae omnis vano multitudinis rumore\*\*) continetur.“ Num quid in his offendit? nonne omnia recte habent? Atqui hoc ipsum, et quam eleganter et graviter, verbis auctor complexus est: „consectatur autem *nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae*.“ — Sed respiciamus etiam quae ante sunt posita. Cum iis haec ita conveniunt, ut accura-

\*) Quo modo Klotzius adumbratam imaginem dicere potuerit intelligi „ein leichtes, hohles und flaches Bild,“ non exputo.

\*\*) De finibus bon. et mal. II, 15.

tius explicent vim verborum „*in summa inanitate versatur*,“ ut quae ea sit inanitas declaretur. „Optimus quisque, inquit, quum veram illam honestatem et virtutem expetat, quam unam natura maxime anquiri, ad vana et inania aberrat in iisque totus occupatur, si quidem consecratur non veram honestatem et virtutem, quam expetere videbatur, sed *cursus errore*\*) deceptus, — ut paullo infra est — vanitatem popularis gloriae.“ Non vidi, quae melius congruerent. — At enim quae sequuntur omnem hunc concentum subito disturbant: „*Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata*.“ Hancine quemquam ferre inconstantiam, ut *gloriam jam solidam quandam rem et expressam* auctor appellet, *cujus modo adumbratam imaginem* dixerit, quum *eminentem effigiem tribuerit virtuti*? Denique ita demum ratio constare videtur, si ad *eandem gloriam et eminentem effigiem* et quae deinde appellatur *solida res et expressa* referatur, ut hoc dicatur: „Optimus quisque ad gloriam fertur, at non ad veram, *cujus tamquam eminentis est effigies*, sed ad falsam hujus speciem, quae adumbratae imagini similis est. Est enim quae vere dicitur gloria solida quaedam res et expressa cet.“ — Verum ita qui disputabunt, omnem hujus loci rationem parum perspectam habere arguantur. Intelligendum est enim, eam auctorem virtutis et gloriae, quae quidem recte eo nomine appellatur, conjunctionem confusionemque esse sentire, ut neutra ab altera sejungi aut divelli queat: vult enim gloriam tamquam *ipsam esse virtutem bonorum laude celebratam*, ut deinceps explicat, ubi eam tum *incorruptam vocem* esse dicit *bene judicantium de eccellente virtute*, tum *resonare eam* ait *virtuti tamquam imaginem*, tum *comitem* appellat *virtutis et recte factorum*; quumque postea „*famam popularem simulatione honestatis* formam ejus pulchritudinemque corrumpere“ judicat, contra sentit veram gloriam *non simulare honestatem*, sed *tamquam ipsam exprimere* consentiente laude bonorum, formamque ejus et pulchritudinem ex veritate referre et quasi repraesentare. Hoc igitur si penitus perspexeris, etiam ultima illa quae residere videbatur dubitatio de veritate scripturae „*nullam eminentem effigiem virtutis*“ facillime tollitur. Jam enim etiam cum his, quae sequuntur, illam orationem optime intelligitur concinere in hunc modum: „Optimus quisque, ait, fertur ad honores, imperia, popularem gloriam; quumque veram illam honestatem expetat, qua nihil natura magis quaerit, ad res vanissimas abripitur, qui quidem nullam partem verae, quam expetere videbatur, honestatis et virtutis, *cujus tamquam eminentis est effigies*, sed gloriae umbram scilicet et imaginem consecratur. Est enim gloria ipsa longe

\*) Hoc est durch Irrthum in der Richtung, aut elegantius durch verfehlte Richtung. Klotzius cursum dixit Lauf.

diversa ab inani hac imagine: est illa etiam solida quaedam res et expressa, quin simillima ipsi virtuti, quippe cujus divinam vim refert ut vocem imago, ipsamque plerumque comitatur. Sed ab hac longissime distat illa, de qua modo loquebamur gloria, quae est fama popularis (refertur hoc ad superiora illa „Optimus quisque consecratur adumbratam imaginem gloriae“); quae tantum abest ut ullam cum honestate et virtute conjunctionem habeat, ut falsa ejus specie induta ipsam corrumpat.“ Apparet igitur omnem hanc orationem ita procedere, ut primum dicatur, optimum quemque ad honores, imperia, popularem gloriam ita ferri, ut neglecta virtute gloriae vanitatem consecratur; deinde vero, antequam quae ejus sit gloriae inanis ratio explicetur, interponatur, quo illius vis per contrarium illustretur, verae gloriae definitio („Est enim gloria cet.“); tum redeatur ad falsam gloriam („Illa autem cet.“), quae se verae imitatricem esse velit, ejus ut detestabilis vis perspiciatur. — Hac vero demonstratione illam „eminentem effigiem virtutis“ satis defensam arbitramur.

Hinc antequam Tulliana persequamur, interponere placet de loco Sallustiano disputationem, in quo etiam Kritzii diligentia vitium praetermisit turpissimum.

Scriptum est in Catilina C. Sallustii cap. XIII., ubi, quanta civitati avaritia damna importaverit, persequitur, in hunc modum:

„Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere.“

Sall.  
Cat.  
c. 13.

In his non intelligo quo modo ferri potuerit illud „pudorem, pudicitiam“: quo non propterea offendor, quod quid intersit inter pudorem et pudicitiam dubium videatur, sed quod id quod interest nihil referebat hoc loco discernere, quod autem vel maxime dicendum erat turpissima corruptela ita obscuratum est, ut nusquam appareat. Vitium vel levi animadversione deprehenderis. Quum dicitur, „luxuriam atque avaritiam quaeque conjuncta cum his fuerit superbiam hanc vim habuisse, ut omnia susque deque haberent: ut raperent, consumerent, — sua parvi penderent, aliena cuperent; ut adeo pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua haberent; denique nihil pensi neque moderati haberent“ — nam hoc fere modo procedere orationem, atque ad *promiscua* vocem de postremis *habere* verbum audiri in promptu est —: facile intelligitur, *divina atque humana* quo modo *promiscua* habuisse dicantur; est enim *promiscua habere* eodem modo positum, quo *miscere* dici solent diversa, hoc est *nullo discrimine confundere*. Atqui hoc quum optime conveniat in *divina* et *humana*, quo tandem modo idem dicatur in *pudore* et *pudicitia*? Aut quid hoc omnino rei est *miscere pudorem atque pudicitiam*? Qui divina atque humana promi-

scua habeat, eo peccare intelligitur, quod nihil curet quid altera ab alteris distent, quod impia temeritate rebus sacris tamquam profanis, profanis tamquam sacris utatur, denique humanis vitiis\*), flagitiis, sceleribus sanctissimas quasque leges divinas adeo violare audeat, ut ei jam nihil sanctum esse videatur. At qualis tandem erit, qui promiscua habeat pudorem atque pudicitiam? Nimirum hoc nemo nec fecit unquam nec facit, quia non potest fieri: nisi forte ita, ut nomen alterum cum altero male confundatur dicendi vitio. Ipse vero pudor cum pudicitia ipsa aut pudicitia cum pudore quo pacto fieri possit ut misceatur et confundatur, nemo repererit. Scilicet fieret illud, si quis perinde haberet, utram quoque tempore virtutem sequeretur, ut nullo discrimine, ubi pudore opus esset, temere pudicitia uteretur, ubi pudicitia, pudore moveretur: quae apparet *aegri somniis* haud indigna esse, quamquam talia monstrare per febrim quidem fingi posse credimus. Quippe non sunt illa ita disjuncta, ut unquam promiscua haberi possint dici, si quidem natura continet in se pudor pudicitiam, quae accuratius pars dicitur illius ea, quae ad corporis pertinet castitatem tuendam, ut nihil libidinose et flagitiose patiatur fieri: nec potest sine pudore quisquam esse pudicus, quamquam in pudicitia non omnis cernitur vis pudoris, quam latius patere constat, ut ab omni turpitudinis et flagitii genere tamquam sancto horrore quodam refugiat. Sed hoc modo quum differant, neutiquam possunt misceri dici, non magis opinor quam, ut exemplo utar, cum fortitudine patientia doloris.

Multi fuimus in arguendo vitio, quod jam patefactum arbitramur. Ne plura, corrige quamvis inveteratum oscitantis librarii errorem reponendo „*pudorem, impudicitiam*: id ipsum enim quum omnis haec flagitet oratio, satis ipse sibi vindicasse videtur auctor. Quid enim? Parumne hic indicavit componi contraria eaque bina? Talia primum sunt, quae ad improbum honorum usum pertinent tum suorum tum alienorum, „*rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere*“: sequuntur quae ad sanctitatem morum et religionem pertinent, quae ut re conjuncta sunt, ita communi Praedicato sunt comprehensa, „*pudorem, impudicitiam, divina atque humana promiscua — habere*“: postremo omnis generis immodestia, licentia, audacia se proripuisse dicitur, in quo quae multa continentur, non sunt amplius distincta. Hoc vero recte et apte dici, „*pudorem, impudicitiam, divina atque humana promiscua esse habita*“, quis est quin videat? Nam eodem modo *pudorem atque impudicitiam*, quo

\*) Non temere hoc usi sumus, sed quod persuasum nobis est recte ita suo loco scribi: nam frustra esse arbitror, qui tentarunt „*humana vitia*“ Tusc. disput. I. 30. § 72. Appellavit auctor humana vitia, quae hominum peperisset prava libido, quibus deinceps quae deorum vitam imitari laboraverit virtus opponitur.

*divina* atque *humana* dicitur foede mixta et confusa esse, ut effrenata libidine extremaque impietate utraque juxta aestimarent. Neque obscurum est, cur maluerit auctor  *pudorem, impudicitiam, quam pudicitiam, impudicitiam* componere. Nam in promptu est, illud, praesertim in hoc scriptore, cum ipsa graetae cujusdam inaequalitatis vi, tum numerorum pondere sonique gravitate longe magis commendari: accedit, quod etiam sententiam si spectas, per generis vocabulum  *pudor* post alia quae ante posita sunt genera ad novum hoc genus aptius oratio progredi videtur; eique quominus deinde  *impudicitia* opponeretur, nihil impediebat, quod idem pudoris vocabulum nonnunquam ad ipsam pudicitiam refertur.

Verum in re ita manifesta etiam quaerere lubet, quid fefellerit, non librarium eum, qui primus cum  *impudicitia* confudit  *pudicitiam*, — nam hoc quidem in promptu est —, sed interpretes, turpissimum vitium ut eos lateret. Illud igitur adduci vix possum ut credam imposuisse, quod non pariter atque inter  *divina atque humana* copula interposita esset inter  *pudorem, pudicitiam*: quem enim ratio fugere posset hujus elegantiae? Verum enim vero, nisi dormitarunt, id quod inde a bono Homero nonnunquam accidit omnibus doctis pariter atque indoctis; sed si quid intelligere sibi visi sunt, quum foedum vitium aequo animo praetermiserunt, — nisi forte phrasin  *promiscua habere*, de qua supra satis dictum est, falso sunt interpretati —, maxime fefelisse credo verba „ *divina atque humana*,“ quod ea fere idem auribus sonare videntur atque „ *jura divina atque humana*,“ ut Cic. de off. l. I. c. 8. C. Caesar dicitur  *omnia jura divina atque humana pervertisse*. Hinc omnem manasse puto errorem. Jam enim  *res bonas* crediderunt comparari, quarum in numero ut sunt jura tam humana quam divina, ita est cum pudore pudicitia. Quamquam vel sic offendere in hoc scriptore debebat inutilis illa verborum copia „ *pudorem, pudicitiam*,“ quae hoc loco discernere nihil attinebat, ubi non disputatur quemadmodum, si exemplum quaeris, apud Ciceronem de fin. bon. et mal. lib. II. c. 22.\*) At, quod maximum est, num juxta sunt quae simpliciter dicuntur  *divina atque humana* et  *jura divina atque humana*? Immo illo modo omnino quidquid est divini atque humani intelligi necesse est; quumque ea impie promiscua haberi dicuntur, haud paullo alia ratione accipiuntur  *humana* sive  *res humanae*, quam quum  *scientia rerum divinarum et humanarum* contineri dicitur philosophia. Nam in definitione hac  *res humanae* simpliciter na-

\*) „Jam si pudor, si modestia, si pudicitia, si uno verbo temperantia poenae aut infamiae metu, non sanctitate sua se tuebuntur: quod adulterium, quod stuprum, quae libido non se proripiet ac projiciet aut occultatione proposita aut impunitate aut licentia?“

*turam humanam et conditionem* significant ita, ut nihil cogitetur de vitiis humanis et sceleribus: sin promiscua haberi dicitur divina atque humana, haec illis ita adversa esse sentitur ut profana sacris, ut casta et sancta incestis et nefariis, quae praeter deorum voluntatem hominum pariat impia libido. Quare quum *promiscua habere divina atque humana* neutiquam similem vim habere possit atque „jura contemnere divina atque humana,“ omnis illa excusationis species, qua quodammodo illud *pudorem, pudicitiam* defendere posse videntur, evanescit: quod tametsi secus esset, tamen maneret illa, quam supra docuimus intelligi nullam posse, „improba pudoris cum pudicitia confusio.“

Deinceps quum plures e variis Ciceronis libris locos explicaturi essemus, maximam partem eorum, quae jam prelo parata habebamus, recidere coacti sumus eo, quod inopia Gymnasii nostri huic libello plus chartarum tribuere vetabat. Itaque duos tantum praeterea locos persequi licebat, quorum explicatio non longiore disputatione egeret.

Sumpsimus utrumque e Tusculanarum Quaestionum libro primo. Alter est cap. 38., ubi incredibilem ineptiam aequo animo tulerunt interpretes in his verbis:

Tusc.  
Disp.  
I. 38.

„Natura vero sic se habet, ut, quomodo initium nobis omnium rerum ortus noster afferat, sic exitum mors. Ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit. In quo quid esse potest mali cet.“

Primum offendere debebat Asyndeton valde molestum: nam requirimus certe *Itaque* aut *Quare* ante verba *Ut nihil pertinuit*, aut potius ita compositam omnem hanc orationem: „Natura vero quum sic se habeat, ut — sic exitum mors: ut nihil pertinuit cet.“ Sed quanto turpius in re ipsa erratum esse dicamus! Scilicet haec est Ciceronis sententia, natura sic se habere, ut quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat, sic exitum mors, hoc est, *ut animi hominum morte deleantur!* Ergo frustra ille maximam hujus disputationis partem in eo consumpsit, ut animos immortales esse demonstraret et defenderet (cap. 12 — 31.)? Nam quod deinde a cap. 32. disserere coepit, etiamsi post mortem animi non remanerent, tamen ne sic quidem quidquam mali in morte fore, id satis ipse cavet ne ita disputare videretur, quasi non remanere animos post mortem ipse sentiret: „noluit enim, ut ipse ait cap. 31., quoniam catervae venirent contra dicentium ita in hoc sermone dimittere amicum, ulla ut ratione mors ei videri malum posset.“ — Quid igitur? Num forte nos verba non recte interpretamur, nec dictum illud omnino hoc loco est, ut ortu esse inciperemus, ita morte esse nos desinere? Ergo premamus verba. Quid hoc est: „*Ortus noster initium nobis rerum omnium affert?*“ Proprie est: „Ortus facit ut res omnes nobis (*für uns*) quasi incipiant“ vel „esse

incipiant“: quorum neutrum latine dici videtur; sed dicendum est, ut in hoc libro centies ipse auctor locutus est, „*pertinere ad nos*“ ut res omnes incipiant“ aut „*ut earum sensum habere incipiamus*“: nam „esse aliquid quod post mortem ad nos pertineat“ aut „nihil post mortem ad nos pertinere“ hanc vim habet, „esse aliquid“ aut „nihil esse, cujus post mortem sensum habituri simus.“ At qui his ipsis locutionibus per omnem hanc disputationem ita auctor utitur, ut valeant fere idem quod *esse* et *non esse*: nam ad quem nihil pertineat, eum ne esse quidem intelligitur, pariterque qui nullius rei sensum habet, ipse nullus est. Hac autem vi et ratione perspecta horum verborum omnis de explicatione hujus, de quo quaeritur, loci tollitur. Etenim verba „Ortus noster initium nobis rerum omnium affert,“ si ad vivum resecaas, hanc vim habent: *Unsre Geburt macht den Anfang unsres Daseins*: quamquam enim proprie hoc sonant *Unsre Geburt macht uns den Anfang aller Dinge sive der Welt*, hoc est *macht*, *dass die Welt für uns zu sein anfange*, tamen, quoniam tum, quum res ad nos pertinere coeperunt, ipsi demum esse coepimus, illam, quam diximus, sententiam esse intelligitur, quam barbara, ut ita dicamus, latinitas fere sic declaraverit „Ortus noster initium nobis *existentiae* affert.“ Qua re quum ratio cogat, ut eodem modo alteram hujus orationis partem, quae priori contraria est, interpretemur, totius hujus orationis hanc sententiam esse effectum putamus: „Natura sic constitutum est, ut, quemadmodum ortus noster τὴν ἀρχὴν τοῦ εἶναι nobis afferat, a quo initio demum pertinere aliquid ad nos incipiat, ita mors τὸ τέλος nobis afferat τοῦ εἶναι, quem quidem post exitum nihil amplius ad nos pertineat.“

Jam vero iterum quaerimus, serione hoc quisquam putet a Cicerone judicari potuisse, qui quum saepe alias professus sit, tum in hoc ipso libro multis rationibus, quas diligentissime exposuit, omnino sibi persuasum esse docuerit, animos hominum esse immortales. Nimirum fefellit interpretes librorum error, qui ipse levis molem hanc peperit ineptiae. Habent enim plerique codd. „Natura vero *sic se* habet,“ Regius „Natura vero *se sic* habet“. Hanc varietatem, quam tetigit *Madvigius* ad lib. de fin. I., c. 7., hoc loco non fortuitam esse tibi persuaseris, si scribendum esse intellexeris:

„Natura vero *si sic* se habet, ut, quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat, sic exitum mors: ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit.“

Sic omnia recte se habent. Sumit enim auctor natura ita constitutum esse, ut quidam velint, idque si ita sit, quid consequatur dicit. Quorum duorum cave ne alterum cum altero male confusum putes: nam in protasi momenta ipsa temporis duo notantur ea, quorum altero esse incipiamus ortu, altero desinamus esse morte, inter quae momenta interpositum est vitae cujusque tempus; in apodosi autem infinita illa spectantur temporis spatia, quorum alterum ante-

cedat ortum, alterum mortem sequatur: quare ommissa varietate verborum et elegantia, sed ut acumen magis sentiretur, scribi potuit: „Natura vero si sic se habet, ut, quomodo ortus noster ut primum aliquid ad nos pertineat efficiat, ita mors efficiat ut postremo aliquid ad nos pertineat: sequitur, ut, quemadmodum ante ortum nihil ad nos pertinuerit, sic post mortem nihil futurum sit quod ad nos pertineat.“ — Praeterea admonemus, hoc quoque loco capitum et paragraphorum divisionem valde ineptam esse, ut de sententiarum progressu falsissima persuadere videatur. Nam ratio postulabat, ut ea signa ante haec ipsa „Natura vero si sic se habet“ ponerentur, si quidem illa „Itaque non deterret sapientem — gloria, etiam si tu id non agas, consequatur“ cohaeret cum iis, quae cap. 37. subjecta sunt inde a verbis „Cur igitur et Camillus doleret.“

Alter locus, de quo postremo disputaturi eramus, etiam paucioribus absolvi potest. Cap. 34. prima verba sic distinguenda censemus:

Tusc.  
Disp.  
I. 34.

„M. Video te alte spectare et velle in caelum migrare. Spero fore ut contingat id nobis. Sed fac, ut isti volunt, animos non remanere post mortem: video nos, si ita sit, privari spe beatoris vitae; mali vero quid affert ista sententia? Fac enim cet.“

Quam ratioem peritis satis fuerit interpretatione commendare: *Ich sehe, dein Blick geht höher, und du hast Lust in den Himmel zu wandern. Hoffentlich wird uns dieses Glück. Aber angenommen, es gebe, wie jene meinen, keine Fortdauer der Seelen nach dem Tode, so sehe ich wohl, wie wir für diesen Fall der Hoffnung eines seligeren Lebens verlustig gehen, aber wo brüchte uns diese Ansicht ein Uebel? Denn gesetzt cet.\**) Reddidit haec nuper uni personae Tregderus: sed is quum scripserit „vitae. Mali vero“, pariter atque ceteri omisit, qua ratione sibi responderent partes illae „video nos — privari spe beatoris vitae“ et „mali vero quid affert ista sententia.“ Cohaeret enim omnis haec oratio dialectice in hunc modum: „Video — te velle in caelum migrare. Verum quamquam spero eo animos nostros evolaturos esse, tamen, etiamsi animi non remaneant, boni ego quidem detractionem video, sed mali accessionem nullam video.“ Quod autem nec post *video* adhibitum est *equidem*, nec antea pro *Spero* scriptum *Et spero quidem*, in eo, ut in germanica interpretatione apparet, elegantiam videre licet remissioris sermonis, qui talibus omissis impedimentis nescio quomodo lenius et quasi mollius fluere videtur, satisque habet vocis modulatione eam varietatem distinguere.

\*) Kernius vertit: „M. Du schaust, wie ich sehe, nach einem hohen Ziele hin, und willst zum Himmel wandeln. — A. Das soll uns, hoff' ich, gelingen. Aber gesetzt, wie jene wollen, die Seelen dauern nach dem Tode nicht fort, so werden wir, wie du siehst, wenn dem so ist, der Hoffnung eines seligeren Lebens beraubt. — M. Wohl, — doch welches Uebel bringt jene Ansicht?“

